

Non sicut delictum, ita et donum.

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli
ad Romános

5, 12-15

Fratres:

- ¹² **S**icut per unum hóminem
peccátum in hunc mundum intrávit
et per peccátum mors,
et ita in omnes hómines mors pertránsiit,
eo quod omnes peccavérunt.
- ¹³ Usque ad legem enim peccátum erat in mundo;
peccátum autem non imputátur, cum lex non est,
- ¹⁴ sed regnávit mors ab Adam usque ad Móysen
étiam in eos, qui non peccavérunt
in similitúdine prævaricatiónis Adæ,
qui est figúra futúri.
- ¹⁵ Sed non sicut delíctum, ita et donum;
si enim uníus delícto multi mórtui sunt,
multo magis grátia Dei et donum
in grátia uníus hóminis Iesu Christi
in multos abundávit.

Verbum Dómini.